DISSERTATIO
INAUGURALIS MED.-PHILOSOPHICA

DE

STERILITATE
CORPORIS FEMINEI

OB

LITTERARUM ET ARTIUM CULTURAM,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS AC DIRECTORIS, SPECTABILIS DOMINI DECANI, NEC NON CLARISSIMORUM DOMINORUM PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE GRADU

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS, JURIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME OBTINENDIS IN ALMA AC CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE PATRIA ERUDITORUM CRITERIO

COMITTIT

JOSEPHUS KEMPF,

BUDENSIS.

Theses adnexae defendentur in Palatio majori Universitatis Mense Augusti 1844.

PESTINI.

TYPIS LANDERER ET HECKENAST.

1844.

Domum adeuntes, vestra quae sunt, curate, telam et colum, ancillas iubete opus facere suum, bellum autem et consilium viris relinquite.

Hector et Telemachus.

Man verlangt von einem Arzte Unmögliches, Todten das Leben wiedergeben, Abgelebte blühend zu machen, das ist es, was man von einem Arzte verlangt, und bedarf man dann nicht seiner, so verspottet und tadelt man ihn. —

Arme Medicin! arme Aerztell!

VOLTAIRE.

A' MÉLTÓSÁGOS

GRÓF

WENKHEIM FERENCZ

GYULA' ÖRÖKÖS URI CSALÁDJÁNAK

e zsenge pályamunkáját buzgó tisztelete 's korlátlan hála-
datossága jeléül

ajánlja

a' SZERZŐ

A' tudományok' és müvészet' fáradhatlan Előmozditóinak, és nagylelkü Pártfogóinak lenni, mindenkor olly szivreható és szerencsitő előjogai voltak azon embereknek, kik szülésük' Nemességükkel, 's Ranguk' fényökkel hasonló felséges lelki diszt összekötnek.

Hogy ha én jelenleg, mint a Müvészet kezdője, az egyetemi törvénynek eleget teendő, — melly a' pálya - végzett orvosoktúl az irodalom' mezejére tettleges fellépést követel, a' roppant terjedelmü orvosi tudomány' ezen részecskéit választván értekezésem tárgyaul, a tudós községnek átkezelem, mi lehetne nekem vigasztalóbb, mi lelkesithetőbb azon felséges, szerencsés öntudatnál?! hogy e' zsenge Pályamunkámat a' Méltóságos Gróf Wenkheim Ferencz Gyula' örökös úri Családjának csillogó nevével diszesithetem, egyszersmind elismérendő, hogy minekutána az orvosi pályámat részint a' bécsi, részint a' szeretett Honi orvosi Tanodánál végeztem, kitüzött legfőbb czélom' eléréséhez ezen jótékony nagylelkü Grófi család juttatott, melly határtlan, kifejezhetlen kegyességéért holtig a' hálaadás' könye arczomon csurogjon.

PROOEMIUM.

Naturalis feminarum foecunditas, et multiplicatio progeniei fructuosa semper et in omni gente maximi aestimata, sterilitas e contra eximium erat dedecus. Sic legitur: „apud Judaeos poma Mandragorae venustae Raheli a sorore Lea degustanda exhibita fuisse, ut facilius conciperet.“ (I) — In Mose, Prophetis et Psalmis habetur: „quod summus rerum humanarum Sator hominum propagationem augere et imminuere, uterum foecundare et concludere, aut abortientem reddere, ubera marcida et exsucca facere queat.“

Maiestaticum illud Verbum: „Crescite et multiplicamini“ veterum plurimos, — solam naturam humanam foecundandi facultatem in actum et usum ducere, non sufficere opinantes, — ad absurda duxit. Hinc olim quaestio, „utrum femina absque mare concipere, et generare possit?“ mota fuit.

Sic Bartholinus (II.) historiam de puero ex sola imaginatione nato recenset. —

Ethnici Romani sponsarum ostia aut limina, — quibus maritorum aedes ingredi debuerunt, — unguento aut oleo obliniverant frugifero (III); inde uxorem ab unguento vel unguendo derivarunt; nomenque dedere. — Jam Galenus et ante ipsum Hippocrates humanae propagationis arcanum arctius inspexit, causasque infoecunditatis diremit in materiales et immateriales, quin dignitatem in Numinis supremi favorem posuisset tantam. Recentiores tandem diversissimas sterilitatis detexere causas, quae partim psychicae partim somaticae sunt.

Perlectis scriptis celeberrimi Zimmermanni et Boerhavii inter omnia maxima digna mihi videbantur attentione „Mala et incommoda" quibus viri assiduo ac operoso in litteris studio plerumque obnoxii evadunt. Eapropter in animum mihi venit, mala ex eadem causa in sexu sequiori promanantia, — diligentius volvere, turbasve in opere sexuali oriundas rite perpendere. Tali modo ortus est brevis hicce ac succinctus „de corporis infoecunditate in feminis propter scientiarum et artium veram culturam." Tractatus, quem pro inaugurali mea Dissertatione, prae reliquis selegi. —

Et his praemissis, id, quod ere est, incipiam.

Isagoge.

In Sterilitatis naturalis humanae indagatione omni tempore multum Medici impenderunt labores, ut hoc sonticum vitium naturale non solum intimius cognoscerent, sed eidem certius etiam et perfectius valerent mederi. Quamvis multae quidem causae talem defectum provocantes communiter recensitae habeantur, illarum tamen quaedam vel plane non, vel insufficienter adtenduntur, et allegantur. Praesens itaque Tractatus circa privationem vel carentiam facultatis naturalis concipiendi praecipue, proin etiam legitime conservandi aut gestandi, necnon pariendi foetum sanum, integrum et vivum versabitur; in quo processu principalis et fundamentalis respectus in facilem ac firmam coniicietur conceptionem, qua nimirum deficiente reliquos etiam sequentes actus connexos deficere patet.

Hunc igitur defectum Infoecunditatem corporis nuncupamur, quae impotentiam prolem generandi generatim amplectitur. Sed quoniam hic defectus in viris aeque ac feminis deprehenditur, meum est propositum, de hac ineptitudine in feminis disserere, et quidem non singulas illius et omnes — quotquot sunt — inquirendo causas, sed unicam ex omnibus praecipue studio atque respectu prosequendo et eruendo.

Est itaque haec corporis in feminis infoecunditas naturalis illa „*foetum humanum concipiendi legitimo modo*

gestandi et pariendi" impotentia, quippe qui actus intelligendi sunt sensu collectivo. Haec ineptitudo vero confundenda non est cum sic dicta frigiditate. Femina enim frigida dicitur illa, quae quoad animum in affectu, instinctu, ut ita dicere liceat, et actu generationis torporem, languorem, negligentiam, segnitiem, aut incuriosam aversationem, quoad corpus vero nullam in partibus genitalibus adplicationem vivacem, nec stimulum naturalem, aut carnales experitur illecebras, quae tamen cum mare commercium ineundo carnale, concipere aliquando, et sic reliquos etiam peragere valet actus inde sequentes. Haec autem sterilitas, de qua mihi sermo, adesse potest in femina, quae quidem affectu amoris cum marito perfectum coitum sine ullo defectu somatico, aut dolore partium exigit, attamen non concipit, sed sterilem frustra fovet exspectationem, cuius votum proliferum vanum remanet, atque vacuum. Tales feminae corpore interdum comparatae, sanae et integrae sunt, aut tales videntur, quae tamen infoecundo fruuntur matrimonio, quin culpa evidens in maritum conjici posset.

Haec infoecunditas porro aliquando constans est, quando tales feminae per totam non concipiunt vitam, interdum iterum periodica existit, dum vel raro, parum et aegre concipiunt, vel multas et singulares plane sub graviditate experiuntur molestias, facile abortiunt, foetum ad completum et legitimum non gestant terminum, ut aut praemature, aut valde difficulter, aut mortuum plane eliciant sobolem, et multis in hoc negotio obnoxiae inveniantur incommodis. Nec porro de infoecunditate feminarum dubia et aequivoca nobis sermo est, quando eius causa nec in marito, nec in uxore manifesta redditur, si talis femina post primum matrimonium infoecundum et primi mariti obitum, posthac cum altero foecundum et proliferum experitur coniugium; sed tractabitur de impotentia concipiendi, continendi, et pariendi foetum in et cum organis

corporeis ad hunc processum destinatis idoneis. Ista infoecunditas vel in absoluto defectu et incapacitate consistit, vel aliquali difficultate impedimento offensa nititur, ut huic negotio inhaerendi vires non permittant, nisi haec obstacula tempestive removeantur. Quando vero vincibilis haec infoecunditas diutius inhaeret, in talem degenerat habitum pertinacem, qui nullo potest consilio et auxilio ulteriore corrigi et emendari.

Scrutinium in causas infoecunditatis.

In hanc infoecunditatem feminarum indagandam Medici omnis aevi plurimum operae navarunt, et omnimode desudarunt, ut defectum tanti nomenti quoquomodo corrigere, et mederi possint.

Si scrutinia tantorum virorum inde a cana vetustate usque recentissimum, ut ita dicam, solem attenta mente perlustramus, communiter causas invenimus accusatas somaticas, multiplicia organorum muliebrium vitia interna, et externa, uti sunt: Atresia vaginae partialis aut totalis, atresia oris uteri et sic porro, quidni plus me Hercle! exstant exempla, ubi natura corpori femineo ex integro denegavit uterum; — quorum vitiorum organicorum penitiorem notitiam — licet et in vivis solerti indagatione multa agnoscantur, — plurimum Anatomiae pathologicae in acceptis referre ausim. Modo culpam in genitalem conicecere liquorem, modo in seminis discrepantiam, modo nimiam siccitatem, acritudinem, et amplitudinem etc. organorum genitalium adcusavere.

Quam verbosi atque effusi in talium causarum fuerant commemoratione, tam compendiosi, aut plane obliviosi in aliarum sonticarum causarum indagatione et commemoratione Medici illi exstiterant, ut propterea eorum inventis atque observationibus aliquid adjungere posse, mihi visum fuerit.

Quis est, qui negabit varias ad hanc sterilitatem absconditas contribuere causas?! inter quas multae tantum post talium feminarum mortem, sub inquisitione et sectione oculis et cognitione se submittunt. Sed tamen quaedam supersunt causae, quas plurimi rarius agnoscunt, et allegant, quarum tamen notio multum potest in matrimoniis ineundis iuvare; quando multum etiam refert, quo magis familiae de stematis sui propagatione sollicitae sint. Haec facultas generandi inter causas sic dictas naturales etiam haereditariae obnoxia est dispositioni, qua nonnullae familiae perquam proliferae, et foecundae, aliae minus tales reperiuntur.

Quemadmodum enim mentis facultates, corporis vires, functionesque aliae Oeconomiae animalis, haereditariae obnoxiae sunt propagationi: ita et haec facultas generativa in sexu sequiore per haereditatem nunc vigori, nunc languori, hic facili et liberali progressui, alibi defectui est submissa. Id idem etiam de nonnullis gentibus valet, quarum quaedam valde foecundae, aliae minus aut plane steriles deprehenduntur, in quibus causa in corporis constitutione incassum quaeritur, licet interdum remote aëris temperies, locus, clima, diaeta, regimen, vitae genus, prae ceteris vero Religio, moresque patriarchales eo aliquid conferre videantur. Huc tandem pertinent homines liberis, omnique coniugali socialitati infensi, quippe, qui minori foecunditate instructi esse visuntur, in quibus taedium morale, fastidium, invidia, tenacitas, avaritia, morositas, et sexcenta alia apprime accusantur.

Sic homines extra Patriam in locis peregrinis viventes, in novas et externas emigrati provincias, novas colonias erigentes, in captivitate et exilio degentes, ob ininterruptam Patriae reminiscentiam, aeque minus foecundi observantur, idem constat de familiis coacte aut animo repugnante dissensuque in incutta loca delatis. Nec silentio

praetereunda sunt matrimonia coacta, multisque adversis piperata animi adfectibus. Zachias (IV) inquit: „*Coniugum odium et malevolentia generationem impedire potest.*“ Teste Aetio: „*Odium impedit conceptionem, amor conciliat genituram, et conceptum, inviti concubitus inanes ac steriles sunt.*“ Nec desunt Medici, sterilitatis causas recensentes tales, qui communiter animi-pathematum mentionem faciunt. Jam Sinibaldus prae aliis hoc asseruit, quod *crebra videlicet odia, dissidia, multae rixae, indignationes, terrores, timor, moeror, angor et similia sterilitatem causent*, nec ignota medicis observatio erit, quod frequens in feminis ebrietas, mentis et corporis corrumpat sanitatem, relinquatque infoecunditatem.

Seriem causarum sterilitatem arcescentium ingrediuntur quoque multae, aut continuae operosae, intricatae et profundae cogitationes, quae animum valdopere afficiunt, aliisque negotiis implicant. Ideo Musitanus de morb. mul. dicit: „*Animi passiones, ut ira, rixa, tristitia, timor, et profundae meditationes fugiendae, quae nimirum omnes vim suam in uterum refundunt, eiusque oeconomiam ita subvertunt, et perturbant, ut inde sterilescat.*“ Tales profundas cogitationes Sennertus (V) accusat; non minus Ludovicus Lobera de Avila de mulierum sterilitate significat: „*quod lucubrationes animi multae, ac profundae meditationes, necnon virium mentalium fatigationes sterilitatem ausent.*“ Intemperiem feminarum nimis calidam nimisque frigidam, — quae partim ad corpus, partim ad animam extendenda est, — in sterilitatis tractatione communiter Medici improbare solent. Quae feminae libidinis aestro nimium flagrantes, aut in aliis animi adfectibus — quamvis non adversis, — veluti gaudio, hilaritate, desiderio, cupiditate aestuantes et excedentes sunt, infoecundae magis deprehenduntur. Hae causae, quae in anima focum suum figunt, ut foecunditatem animi, hanc infoecunditatis

in feminis causam indicem, paululumque explicem, me promovere.

Animi foecunditas in feminis.

Per hanc animi foecunditatem intensiorem, frequentiorem ac ardentiorem rationis aut intellectus usum intelligo, aut exercitatiorem mentis in scientiis sublimioribus operationem, alias sexui sequiori non usitatis. Attamen obliviscendum nunquam erit, nonnullarum feminarum animum ad altiora interdum negotia, extraordinariam mentis culturam, perfectionemque spirare, unde feminae sapientes et exquisite prodeunt doctae; in quibus itaque tam foecunda imperat ratio, quae fastidiose solum vulgaria muliebria (quia illis viliora ignobilioraque visuntur) adoperat, sed illa potius, quae viris sapientibus familiaria sunt, magno nituntur acumine ardoreve exercere atque perficere.

Minime huius loci est, ventillare quaestionem, an illa mentis capacitas et eruditionis acquisitio inferiori feminarum (quae alias pars debilior — gyöngédebb rész — vocantur) naturae repugnet. — Brevibus assero, Mulieres, non ad verticillum, colum, acum, ollas, linum et lanas tantum natas et destinatas, sed sufficiente aeque mentis capacitate roboreque esse praeditas, quod plurimae in negotiis sexum hunc maxime decentibus sat clare manifestant. Nihilo tamen secius animi et tales possident dotes et qualitates, quibus scientias sublimiores tractare et acquirere queunt. Nec cum aliarum scientiarum addiscendarum exclusione de iisdem valet: *„Filia subtilia nebat sub tilia fila.“*

Evae sorores ex vulgari dicterio vocatas plurimas vavras, imperiosas, rixosas, garrulas, illecebras etc. esse, plurimas porro agrestium mulierum maribus rusticis veluti rudibus et truncis esse prudentiores, sub scrutinio cu-

ratiori veritati absolute non adnuit. Quapropter asserto Joan. Huartis medici hispanici non consentimus, dum disserit: „*Femellas ob frigiditatis et humiditatis rationem profundum aliquale ingenium non posse assequi.*“ Hinc questio a nonnullis movetur, unde feminarum plurimis loquacitatis donum, flumina verbosa, facundia dicendi, nisi eloquentiae Doctrices agere quaeirent? Quamobrem Hector et Telemachus aiunt: „*Domum adeuntes, vestra quae sunt, curate, telam et colum, ancillas iubete* opus *facere suum, bellum autem et consilium viris relinquite;*“ aut quod Claudius cecinit: „*Tu potes alterius studiis haerere Minervae, tutelas, non tela pati; tu stamina nosse, tu segnes operam solers urgere puellas.*“

Nervus quidem argumenti mei non postularet de feminis doctis recensere exempla, quae sane non rara sunt, attamen fas sit variorum Auctorum collectionum aliqua saltem proferre specimina. Pertinet huc Jacobus Peresius Moja, qui eruditione celebres in Hispania feminas adnotavit; accedit Tirraquellus in *LL. Connubio de nobilitate,* ubi magnus feminarum doctarum numerus allegatur, addimus Guevarram, Spangenberg, Paschium, Hendel, Sig. ab Birken et plures alios. Ordine tamen hoc non indiscriminatim illas eruditas, aut doctas fors exclamo, quae nonnullarum nonnisi linguarum peregrinarum notitia gaudent, v. c. si quaedam Dama pesthiensis germanicam, gallicam, aut anglicanam etc. praeter patriam calleat linguam, aut aliqualem in veraccula Poesi, aut superficiaria Philosophia aut Historia universali vel pragmatica habeat cognitionem, memoriaeque fidae magis, quam ratiocinii, iudicii testetur culturam, quibus facile nimirum proficere possunt, si aliquali mentis perspicacitate et alacritate praeditae sunt.

Talem inquam eruditionem in nuce et compendio multae feminae, aliae facilius, aliae difficilius assequi valent. Ve-

rumvero ego fundatam, solidam, magisque perfectam iudiciosam et realem, practicis usibus rectius convenientem intelligo eruditionem, quae maiori gaudet celebritate, quam illa in nuda speculatione, curiositate, et memoriae exercitatione consistens, in pluribus ex nisu solum orta perverso, mores imitandi modernos; in quod vitium posterius variae feminae sciolae, novitatum avidae, ambitiosae et nimio praeiudicio egoistico laborantes perquam inclinant; quae sibi valde placent, sapiuntque, et meritorum suorum ininterrupta praeoptant encomia. Cum exquisitius eruditae vicissim subinsa etiam prudentes sint, et re, et opere magis, quam verbosa ostentatione suam comprobabunt memorabilem capacitatem. In hac autem classe (vere) eruditarum feminarum plurimas Virgines fuisse, et extra matrimonium vixisse praeterea breviorem solum vitae attigisse terminum, Historia nobis perhibet, de quarum tamen foecunditate iudicare non possum. Hominum praeterea Historia naturalis pariter feminas magna eruditione claras citius defungi, ac viros eruditione claros ,(quod maximi ad hoc) nobis refert.

Animum foecundum, mentemque bonis scientiis locupletatam proprio marte solisque suis moralibus principiis abhorrescere corporis pollutionem, et fugere incastitatem per se patet, cui quippe libidini nimiopere sensuali mens sobria aegre semet mancipatura erit. Hinc restringit etiam homines intellectus rationisque cultura, eosque praepedit, ne festinanter nimis, veluti bruta lascivis obtemperent illecebris, rectius attentiusque perscrutantes damna inde metuenda.

Vera itaque, atque sincera eruditio, quae bonis, utilibus, honestis et salutaribus operam navat, puritati etiam corporis, sobriae mentis castitati et integritati morali studebit, ideo utplurimum feminae eruditae praeter pudicitiam sexum maxime ornantem abstinentiae a libidine, immo prae ceteris odio incastitatis student; inde etiam constat, feminas profundioribus meditationibus theologicis, phylosophicis, aliis-

que singularibus et simul mysticis inhaerentes, matrimonium aversari, idque pro impuro habere statu; indeque in perversas difficultates statui naturali a summo Creatore instituto contrarias delabi.

Turbae sanitatis atque incommoda exinde manantia.

Ipsa subiecta — quae ob selectam et eximiam animi foecunditatem corpore suo infoecunda redduntur, peculiaribus et animae et corporis qualitatibus etiam praedita esse deprehenduntur. Quoad animam, quum magna cura et operoso studio doctis indulgeant contemplationibus et meditationibus, cumque in feminis animi vires teneriores, sensibiliores et debiliores existant, quam in maribus; mentis scientiarumque cultura etiam laboriosa magis, et difficilis erit, ob versatilitatem autem huic sexui propriam facilius exhauriuntur vires, ut propterea aliis ad hunc sexum communiter spectantibus negotiis, aequali tenore, et ardore haud queant incumbere, nam plurimis et altioribus intentus minus est ad singula sensus.

Quo difficilius desideratos faciunt in excolendis et addiscendis scientiis progressus, eo pertinatius, et constantius prosequuntur studium semel susceptum et propositum, quae vero difficultates tanto magis afficiunt animi vires, et reliquo vigori vitali — oeconomiae impendendo — remoram iniiciunt et obstaculum. Praeterea tales eruditioni indulgentes feminae vitae multum incumbunt sedentariae, desidiam passim magis praeoptant et observant, indeque varias experiuntur sanitatis offensas. Facile nimirum nimio onerantur sanguine cuius torrens — cunctante circulatione — varia opplet organa, varias ibidem proiiciens turbas, sanguinis qualitatem simul alterando. Eiusmodi feminae litteratae pro reliqua mentis teneritudine, sensibilitate, et impatientia facilius in

singulis functionibus, ad oeconomiam animalem spectantibus, sonticas experiuntur mutationes et alterationes, indeque in morbidum incidunt statum, sub quo adhuc magis a negotiis abstrahuntur domesticis, oeconumicis, et sexum usitatius respicientibus; inhaerentque potius speculationibus. In plurimis autem talibus subiectis naturalis quasi adest novitatis aviditas, sciola curiositas, et aliqualis mentis inquietudo, historiarum curiosarum et controversiarum enarrationibus quasi retiolo illaqueantur, et sic ad meditationes clanculum magis magisque invitantur, ut posthac maiorem animi, quam corporis sui habeant curam.

Regulis praeterea dietae et regiminis adeo exquisite non obtemperant, negligunt nimirum rectum ordinem et moderamen in quantitate, qualitate et tempore victus summendi, respuunt laboris cum recreatione alternationem, protrahunt sessionem et motionem, confundunt diem noctemque, vigilias extendentes, contrariam igitur amplectentes vivendi rationem, turbis affliguntur organorum diversissimorum multifariis.

Haec generalia solum praemisi, ut Tractatus specialior inferius sequens fusius rectiusve intelligi queat.

Exempla asserti.

Sed ne haec tantum ex opinione et praesumptione nuda tractare videar; nonnullis exemplis intererit hanc observationem comprobare. Haec accusata *infoecunditas* in quibusdam feminis doctis est aut absoluta, aut relativa. Constant exempla, quod nonnullae feminae in matrimonio suo plane steriles exstiterint, licet non evidenter valetudinariae apparuerint, in quibus causa nec in manifestam et sonticam dispositionem morbosam, nec in maritum coniici valet, — quae proin quia nec concipiunt, nec pariunt, multum attamen vitae deditae sunt sedentariae, percommode et indulgenter

vivunt, plenaque insuper fruuntur diaeta, — facile morbosam offerunt obesitatem. Deinde quaedam talium feminarum tardius, rarius, et inordinatius concipiunt, gestatio multis iuncta est molestiis et turbis, facile abortum patiuntur, vel foetum saltem non ad legitimum et ordinarium protendunt terminum vel foetum mortuum operoso, aut praecipiti edunt partu. Sequuntur nunc exempla, quibus praesentem confirmare possum observationem.

Innotuit femina clara, docti viri uxor, et adhuc doctioris genitoris filia, in disciplinis logicis, moralibus, politicis, historicis, heraldicis, iure naturae et canonico, lingua porro latina, graeca, gallica et vernacula exacte erudita, quae vero eruditionem suam ita prudenter occultavit, ut nonnisi urgente necessitate eandem cum magna aliorum adprobatione patefecerit. Inter alia capacitatis suae specimina, controversiam doctam inter patrem et maritum de sententia quadam politica ortam, scripto quodam tecto nomine edito, inscia utraque dissentiente et litigante parte, composuit atque discussit. Eius maritus erat vir sanus, vigorosus, integer, ipsa tamen nihilominus por totum multis annis durans matrimonium, nullorum liberorum fuit mater. Qua virgo fuit constitutionis admodum laudabilis et formosae, posteaquam vero sub matrimonio summo ardore in splendida mariti Bibliotheca studia sua large exercuisset, viribus corporeque adparuit infracta.

Alia eiusmodi femina erat nobilis senatoris insignis scientiarum et bonarum artium promotoris uxor, exacto pollebat iudicio, erudita in historia ecclesiastica et civili, genealogia, studio numismatico et monetario, antiquitatibus iudaicis, romanis et graecis versatissima, eximio studio diu noctuque lucubrationi et lectioni doctorum scriptorum operam navans, quae pariter progeniei — ut desideratissima et amantissima — per totum sterilis mansit matrimonium, quae tamen successive sub tali studiorum fervore valetudinaria

reddita, posteaquam duodecem annis pacificum atque tranquillum transegisset matrimonium infoecundum, febre exspiravit hectica.

Femina tertia erat monialis virgo, quae e monasterio fuga se salvavit, et ad evangelicam transiit Ecclesiam, a Doctore Medicinae aeque ante hoc monacho romano, nunc converso in matrimonium ducta. Uterque erat optime sanus, corpore firmus et robustus; — illa in Theologia Pontificiorum valde exercitata, in scriptis Evangelicorum doctorum, in scriptis Bellarmini et Corn. a Lapide versatissima, praeterea in scriptis Paracelsi, Lullii, Galeni, Helmontii, in Chemia anorganica exacte docta vexatissimis dedita experimentis, cum marito amplificam exercuit Medicinam; — alchymicorum librorum et processuum aeque studiosissima novis iuventis et experimentis impatiente insudavit fervore, perpetuo tamen infoecunda mansit, licet animo et corpore a naturali voluptate non abstinens fuerit.

Denique quarta accedit docta mulier nobili Aulico iuncta thoro, quae res domesticas et oeconomicas aliis tradidit administrantibus. Diu noctuve studiis amplissimis operam dedit, et in dies colloquia et conversationes cum viris coluit eruditis; ita enim studiis inescata fuit, ut modum amplius servare haud potuerit, unde in talem delapsa est excessum, ut nec quiete amplius dormire, nec commode et sufficienter ingesta potuerit digerere, ideoque Cachexia ex febre lenta correpta fuit; quamvis curata postea, tamen cum denuo studiis incumberet, infoecunda semper mansit! (VI.)

Pariter temporibus recentioribus multa nobis praesto sunt exempla feminarum doctarum, quae matrimonium aut plane respuere, aut inanes foverunt in pectore de progenie desiderata exspectationes, quas tamen hic recensere nec locus, nec spatium permittit, immo aliae causae plane interdicunt.

Scrutinium physiologicum.

Ut turbae multifariae, anomaliaeque momentosissimae, — quibus indefessum in feminis studium, quod foecunditatem animi nominare mihi placuit, ansam praebere valet, — rectius intelligantur, physiologicam liceat praemittere sexus sequioris statum, ex quo — veluti a norma deviatio; — pathologicus propullulabit tractatus. —

Processus physiologicus in feminis suas et peculiares ludit varietates et proprietates, hinc etiam pathologicus, priori inixus, parique incedens passu singulas, necnon peculiares nobis offerret proprietates. — Quoad somaticas nimirum proprietates femina excellit constitutione gracili, debili, fibrarum flexibilitate mollitie, et mobilitate versatili, quapropter influxibus externis magis obnoxia, facillime in motus cogitur organicos, cum defectu tamen constantiae, quae, si in feminis insimul adest, sane prius et certius, quam in maribus ad roboris exhaustionem, viriumque plenariam abhinc depressionem conducit. A natura iam ad propagationis negotium destinata, omnibus proprietatibus, et qualitatibus instructa est femina, quae ad conceptionem, gestationem, partum et nutritionem requiruntur. Propterea totum fere vitae cyclum in feminis opus explet generationis; etenim extra graviditatem mensium periodicae inquinant pollutiones, sub graviditate Catamenia retinentur, quia uterus alio et nobiliori occupatus officio humores — secus qua superfluos evacuandos — in progeniei nutritionem impendere coactus est; sequitur partus, quem lochiorum fluxus excipit, lactisve in uberibus secretio longiori temporis tractu ingruit, quo durante et et menses desunt.

Finita lactatione menstrua iterum in lucem veniunt, quibus comparentibus natura indigitat tempus, quo femina rursum concipiendi capax redditur. Hoc modo prior semper redit foecunditatis cyclus, donec labentibus annis status cli-

mactericus, i. e. *sterilitas naturalis* intrat, quemadmodum primo etiam mensium introitu foecunditatis praesto est initium. Hinc mensium praesentiam sicuti defectum pari passu videmus incedere cum foecunditate et sterilitate, hinc priorum in posteriores intelligitur dignitas atque connexus. Naturam, sapientiam haud sufficienter in his periodis intelligere et admirari possumus, cum semper una praesente altera dormiat, et una altera excipiat, parique passu et ordine suppleat. Femina ceteris paribus his officiis sexualibus continuo occupata, tempus extorquere non potest sufficiens, ut virorum negotia, et labores incipiat vel absolvat, sique fit!? certe in illarum detrimentum, atque cum alteratione gravi impenditur.

Huc accedit nervorum teneritudo, mollities, atque mobilitas eximia, notabilis sensilitas, ita, ut facillime fiant influxuum externorum impressiones, in quas reactio debilior, et inconstantior est; abhinc ut energia et constantia insuper addatur, maius requiri virium dispendium cum facili exhaustione per se intelligitur; omne nimirum nervorum systema minore robore ac energia insigne facilius in debilitatem vel motus abripitur spasticos, corporis ac mentis proliciens anomalias. Quod singulas attinet systematis nervorum provincias, nervorum automaticorum (systematis gangliosi) provinciam reliquarum quasi praedominium exercere notum esto, quod facile ex sequentibus intelligetur: omnes enim functiones ab hoc systemate derivandas, et quidem una ex parte digestionem, assimilationem, resorptionem, chymo-, chylo- et Hematepoësin, omnemque idcirco formationem, ex altera autem parte animam, animique affectus longe prae ceteris eminere functionibus a systemate cerebrali derivandis; — et in hac provincia — plexum systematis gangliosi ad organa sexualia pertinentem supremum et longe momentosissimum obtinere locum, ex processu constat sexus sequioris physiologico.

Functiones itaque omnes a systemate sexuali summe exculto peculiarem quamdam experiuntur directionem, quod

intimum cum vitae penetralibus fovet commercium et sympathiam, quodque haud non omnium reliquarum in corpore muliebri functionum agit motricem atque dominam. Maximum vero exercet influxum in sangnificationis processum, quum pulmones alioquin teneriores, debiliores, et minoris ambitus in cavo thoracis magis angustato impressi haereant, et uterus vicariam quoquomodo suscipere videatur functionem pulmonum, eorum sic supplendo opus!

Uterum ergo non solum organon secretorium et germen foecundatum gerens atque nutriens esse, sed pariter et sangnificationis processum adiuvare comprobatum existit. Tanta est systematis sexualis in vitae functiones dignitas, ut iure merito feminarum morbi plurimi suam exquisite in huius systematis turbis agnoscant fontem sufficientem. Ex altero respectu morbosa functionum alteratio dissitorum corporis organorum in systamate resplendet uterino eiusque officium pervertit et confundit.

Sphaeram vero psychicam respicientes, mentis operationes subsidiis peculiaribus conformiter peculiari etiam contingere ratione animadvertimus. Excellunt nimirum feminae animi mobilitate, mentis volubilitate, facileque affectibus abripiuntur diversissimis. Earum phantasia alacerrima admodum versatilis, imaginum, et imaginationum copia pariter ac earum inconstantia excellit; attentione intensiva et perdurante res prosequendi et diiudicandi non capaces, facillime quidem rei notionem capiunt, quin immo! viris maiore sagacitate animi (saltem primo intuitu) praeditae inveniuntur, meditationibus vero profundioribus eo minus — quo longior earum — duratio, — indulgendi aptae sunt. Propterea *omne* mentis et voluntatis versatili ac incitabili notatur superficialitate; energia vero et constante assiduitate — viris magis propria — carent, ex hac causa minus possunt excellere.

Quod hoc momento odio prosequuntur, paulo post intimo

amplectuntur amore, et vicissim; sic etiam animi adfectibus et passionibus praeprimis debita voluntatis et propositi vacillat constantia. In genere adfirmari potest, quod — quemadmodum viris temperamentum cholericum et melancholicum: — sic feminis temperamentum sanguineum et erethisticum conveniat.

Quibus praemissis feminarum naturam atque indolem virorum occupationibus praeprimis vero studiis assiduis ne minime respondere, immo animi foecunditatem feminarum statum vocari posse naturae contrarium, nemo inficias ibit! Nam omnem illarum vitam vegetam opus sexuale cum suis officiis ac functionibus intime explet et determinat, quod in mare non accidit, qui peracto coitu nullam in vitae operationibus perfert mutationem, sed more consueto ad sua peragenda regrediens, iisdem viribus vigentibus — sua — quae sunt, incipit et peragit. In femina vero labores domestici exiguam solum virium intentionem exposcentes opusque sexuale non turbantes, huic operi potius accommodantur, inque nexu versantur intimo. Quamprimum ergo feminae talibus incumbunt operationibus, quae destinationi naturali suae non conveniunt, immo contrariae visuntur, vitae functiones intimum cum systemate sexuali nexum foventes; ab hoc foecunditatis opere retrahuntur; in cuius sequelam iners, et segnis istarum functionum praeparatur processus.

Sed aestumandi adhucdum alii veniunt respectus, qui quidem maioris, immo maximi sunt momenti. Ut interim de aliis taceam, experientia iam dudum nos edocuit, quod mentis assidua et operosa cultura imbecillitatem corporis, et hebetudinem relinquat, sic ratione inversa: amplitudinis et massae corporeae augmentum reprimit mentis operationes, et altiorem culturam. Recordemini quaeso, miseriarum ac morborum *in viris pertinace assiduitate ad studia incumbentibus*, quod omnis aevi auctores nobis testantur, immo quod experientia propria nos edocebit. *Praematura videlicet aut*

praecocia aut etiam diuturna studia cum firma sanitate et longa vita haud consistere!

Scrutinium pathologicum.

Si in viris ad meditationes, ut ita dicam, natis, — in quibus omnium functionum ad studia abstracta et profundiora concors animadvertitur corrivatio, et adaptatio natura sapientissima iam ita instituta, mentis exercitatio nimia, validissimos, immo exitiales valet producere effectus, — quidni in feminis gracilioribus, tenerioribus? in quibus phantasia, sensatio tenera, et intuitio formalis, prae iudicio et reali intuitione praevalent, quidni lucubrationes mentis profundiores eo intensiores, et ampliores parere valebunt turbas, atque molestias? Proinde multa etiam existunt exempla, quae nobis praeter superius adducta ex abundanti adfirmant, quod strenuae animi adplicationes ad certa obiecta pro individuorum discrepantia varias atque varias impedire, et profunde alterare valeant functiones, veluti: digestionem, assimilationem, resorptionem, chymi- et chyli-parationem, sanguificationem et nutritionum, sanguinis aequalem distributionem, et tandem omnem evacuationum ordinem; hinc nec unam formationis functionem ad normam constare animadvertimus. — Quo sensibiliores et in laboribus suis immoderatiores existunt feminae; — quales in scientias flagrantes communiter sunt, — eo maiores et gravioros etiam omnium fere functionum erunt turbae.

Feminae capite teneriores, omnibus fere sensibus in- et externis sensiliores, operosis mentis occupationibus eo magis enervationi obnoxiae existunt, quo ardentior studiorum cultura mentem et corpus adfligit. Operosa studia, ardua ac laboriosa scientiarum cultura maiorem et uberiorem sanguinis ad cerebrum adfluxum adlicit, hincque aliis organis vicissim detrahitur.

Accedunt adhuc vigiliae saepius repetitae, quibus per se jam sanguinis accumulatio ad enephalon invitatur, praeprimis si cerebri organa meditatinonibus strenuis continua exerceantur. Labefactata assimilatione, sanguis iam per se minoris notae, et quantitate, et qualitate alteratur, imprimis aequabilis ipsius distributio praepeditur, sicque magis venosum induendo characterem. Tales feminae alioquin iam vitam vivunt constitutioni et energiae suae minus excellenti directe contrariam; etenim quod alias benigna natura operis generandi causa peragere consuevit, ad alia transplantatur organa ita, ut uterus, ovaria, et ubera sterilescant. Respice adhuc, quaeso, virium dispendium, quod ad studia ardua peragenda in feminis, quarum vires mentales iam per se infirmiores et minus optae visuntur, requiritur.

Exinde scaturientia incommoda dupplici e fonte scaturiunt nempe e nimia intentione, et e naturali iam virium hebetudine, quae energicam excitationem perferendi haud capax existit. Omnes istae sequelae in generationis opere eminenter resplendere debent, quia hoc negotium ut rector et gubernator omnium reliquarum functionum diei et haberi debet. Quamprimum vero in systemate uterino turbae incipiunt, huius negotii perversio, concipiendi facultatis alterationes habere debet pedissequas, id est *sterilitas praesto est;* haec infoecunditas tandem habitualis cernitur, quando nimirum causae sustinentes longius vim suam exercuere. In feminis doctis porro dupplici e causa *ob mentis foecunditatem in litteris infoecunditas corporis provocari potest.*

Primo turbis ac anomaliis hac animi occupatione progredientibus et sustentatis, secundo ob dynamicam quamdam rationem, licet perfectae in systemate uterino anomaliae non cernantur, magis nimirum ex antagonismo inter uterum et cerebrum suam invenit explicationem. Nam hac feminae

perpetua et operosa cerebri occupatione magis naturae virili obviam nituntur, in quibus cerebrum et pectus i. e. consilium et audacia principales vitae sistunt qualitates. Sed meum est propositum, *aberrationes morbosas, et anomalias operosa scientiarum cultura conciliatas*, fusius et accuratius perscrutari.

Prae omnibus mensium negotium, quod cum generationis processu essentialiter et intime cohaeret, perquam alteratur; *primo* nimirum: ratione mere dynamica, ob exquisitum — qui inter cerebri et abdominis, in specie uteri nervos existit, — antagonismum; *secundo* influxu mentis operationum in sanguinis circulationem, qui iuxta insignem — qui animam inter et sanguinis circulationem intercedit nexum et consensum, sane valde magnus est, nam in utroque casu valet: quo laboriosior in capite anima, eo maior eorsum totius activitatis directio, hinc maior sanguinis adfluxus, eoque minor in dissitis activitas, et sanguinis moles. Manifeste hoc in multis videre licet, in quibus sub indefesso aut praedilecto studio frons aestuans sudores profundit copiosos, genae rubescunt, et intumescunt, oculi splendidiores, et vivaciores fiunt, vasorumque ad manifestum augetur lumen. Silent in iis omnes adpetentiae et instinctus naturales, recedit fames et sitis, negliguntur vel etiam reprimuntur necessariae, et nonnunequam agentes alvi et urinae excretiones, et dormiunt quasi omnes functiones, excepta mente prae ceteris vigilante. Experientia forsitan propria multorum lectorum, et exempla tot virorum doctorum clare nos edocent, „*sub strenua mentis exercitatione organa sexualia quasi ignoscari et negligi, et sic eorum etiam labi aut saltem imminui energiam.*" Quod si hoc in viris, eo magis in feminis, in quibus uti iam monui, oppositio maior est — accidere debet.

Si vero et alternantibus sub studio affectibus et pathe-

matibus saepius et iteratim tales occurrunt circulationes, alterationes, has habituales fieri necesse est.

Hinc quoniam indefesse sanguinis torrens aliorsum abripitur et ab utero ad organa antagonistice exculta seducitur, mensium etiam periodicus fluxus ab initio quoad quantitatem et modum successionis solum irregularis, sensim sensimque partius in fine demum plorare penitus desinit. Huius aberrationis in circulatione dignitas iterum varia est, pro varia organorum — quo abripitur sanguinis torrens, — sensibilitate, pro varietate temperamenti, constitutionis, pro varia sanguinis ipsius vitalitate, et mole; pro vario totius vitae genere, aliarumque multarum circumstantiarum accessoriarum ratione; differt porro, prout hae turbae repente aut clandestine contingunt, differt prouti dispositio praeoportunat, aut adversatur, ita quidem, ut cohortem sequelarum vix recensere fas sit, dum in singulis individuis aliae possint exoriri. Sanguinis nimirum uberiore et crebriore ad cerebrum adfluxu graves oriuntur spasticae vel congestivae Kephalalgiae, vertigo, sensuum in- et externorum hallucinationes, in internis diversae Paranoiarum species, in externis praeprimis nobilioribus uti in oculis, ambliopia, vertigo oculi, strabismus, morbosus oculi erethismus, photophobia, et tandem amaurosis, in sensu auditus susurrus et tinnitus, baryecoia, et tandem plenaria etiam Kophosis; in cerebro in genere morbosa incitabilitas, status irritativus, et tandem inflammatio cum omnibus infestissimis eventibus terminalibus; continua vasorum extensione, cerebrique per sanguinem obrutione ad apoplexiam paratur dispositio; status congestivus, et erethismus systematis nervorum, qui sub continua agitatione, assiduoque fervore paratur, ansam largitur morbo delirio trementi potatorum analogo.

Secundaria ratione assiduae mentis operationes menstruationi valent insidiari. Ardor nimirum proficiendi tenacem communiter involvit vitam sedentariam, cui ita in-

defesse inhaerent, ut nonnisi aegre abhinc deduci valeant et licet secus feminae magis desidiae indulgeant: eo minus in hoc vitae genere moderamen observare solent. Haec fuga motus multorum corporis et animi malorum fons, mater et origo est; inde enim sanguis superflua et infensa in cavo abdominis, vel etiam — quoniam incurvato passim sedent trunco — in cavo thoracis colligitur quantitate, tardius, debilius circulat, et sic tenax et spissa invitatur ipsius qualitas, ad culmen non evehitur necessarium, quo fit, ut ex inertia fluxus sanguinis omnes se- et excretiones turbentur, aut sufflaminentur, igniculi et acrimoniae coacerventur, stagnationes, oppletiones, physconiae vasorum, et organorum excitentur, sicque qua symptoma vegetationis perversae, mensium legitimus et ordinatus impediatur et pervertatatur successus, indeque in utero, quippe foecunditatis officina, ob vasorum sanguiferorum abundantem et tortuosam dispositionem atque situationem varia adliciantur incommoda; sin itaque universum corpus quoad fluidas et solidas partes tam eximie, et multifarie alteratum et offensum generationis laboratorium tantopere adfligit! magnisne et multis subtilis illa et delicata concipiendi facultas (unde denique infoecunditas generatur) subiici debet offensis, turbis et impedimentis?!

Haec strenua lucubratio et et in certis subiectis morbosam plethoram, in aliis suspectam sanguinis crassitiem, in quibusdam perniciosam Cacochimiam, in nonnullis etiam vel naturalem vel praeternaturalem cachecticam causatur obesitatem, quae posterior prae ceteris foecunditati in feminis contrariatur, ut illa eapropter a Medicis in causarum sterilitatem inferentium serie principalem obtinuerit locum, quae vero cum in talibus subiectis raro solitaria esse soleat, sed aliis plerumque praeiudiciosis iuncta causis et qualitatibus eo certius infoecunditatem talem provocat.

Quantam insuper vim destructivam ardor studiorum in

ventriculum et huius functiones exerat quotidiana exempla in masculo sexu — quippe comparate robustiore, — comprobant; etenim non modo cum excessiva facultatum mentis adplicatione studiis operam navantes saepe sine attentione et grata adpetitione cibos assumunt: sed illorum plane obliviosi, et incogitantes sunt, negligenter masticant, et oscitanter ingerunt, hinc etiam difficulter et incongrue digerunt, cruditates, acrimoniasque, uno verbo, sordes congerunt, quae ventriculum et reliqua organa digestionis onerant, et enervant, unde varii abdominales affectus ortum trahunt, qui cum utero facile conspirant, eiusque functionem assius impediunt. Inde varia digestionis vitia, cardialgia, flatulentia dispepsia, apepsia, bradypepsia, generatio acidorum in primis viis, necnon muci spissioris et pituitae maioris copiae, glandularum, vasorum, et organorum abdominalium ex hoc fonte oppletiones, stagnationes, et infarctus; hinc ibidem segnis resorptio, lenta humorum travectio, paratio sanguinis inertis et frigidi, hic altioris elaborationis sanguinis venosi ad indolem arteriosam nimirum praepeditio; aecumulato sanguine venoso tument vasa haemorrhoidalia, obtunditur acies systematis nervorum automaticorum, et sic morbus explicatur, qui in viris *hypochondria,* in feminis vero, quia uterus nuncquam non intricatur, *hysteria* nominatur, ex qua dein Proteus et cohors propululat, malorum, et turbarum. Alias etiam febres gastricae, pituitosae, biliosae, immo verminosae, vel si actio magis serpit, chlorosis et scorbutus nascuntur.

Singulae hac causae in hoc sexu pertinacem excitant alvi exsiccationem, constipationem indurationem foecum, quae vel cum multis aliis incommodis complicatur, vel talia plane adlicit, et exacerbat, ut intricatus et complicatus hicce status morbosus foecunditatis facultatem admodum pervertere valeat, atque deprimere. Omnibus his causis adlatis insimul vegetationis omne prosterni atque corruere opus, prostrataeque

vegetationis systema etiam uterinum particeps reddi, luce clarius patet. Cum turba autem mensium ut momentosissima uteri functione, etiam reliquas connexas functiones uterinas, praeprimis *concipiendi facultatem* turbari ex scrutinio iam prodit physiologico.

Adhuc superest actionem huius animi foecunditatis in systema nervorum succincte explanare. Studia quaecunque ardua, vita insimul sedentaria ab aëre puro, sereno, libero reclusa, vigiliae protractae, quaecunque demum alia sub tali vitae genere accidentia pertinent ad influxus, quibus subtilissimi vitae igniculi exhauriuntur, superveniunt adhuc turbae in sphaera vegetationis prius iam adductae, quae si prius iam aderant, tunc systematis nervosi labes secundarie inducta eo gravior est, quibus omnibus unitis robur, viresque nimiopere lentim subducuntur, et consumuntur, quod tanto magis et tanto facilius in femellis ob teneritudinem, mollitiem nervorum prae viris maiorem, viriumque vitalium maiorem debilitatem, praeprimis tunc, si pathemata deprimentia, temperamentum magis nervosum, constitutio infirma, gracilisque accedant, — insequitur. Hinc vera paratur systematis nervei debilitas partim forma *torporis* apathiae, partim (utplurimum) forma *erethismi* obveniens. Et et haec debilitas in causa est, ut spasmi pro varia sede, nisu dignitate ex- et intensiva, alliisque arcessentur formae. Gradus et eventus ad convulsiones et paralyses innumeri, intermedii, sunt possibiles. Verumvero vires vitales non tantum gradu, sed et modo alterari possunt. Alius utrincque rursum ex hoc fonte scaturit morborum Proteus, — quoad sensus internos paranoiarum diversae species, vel cum torpida, aut erethistica receptivitate, ibi mentis hebetudo, aut dementia, et fatuitas, hic Moria, si autem sensatio simul intricatur, Melancholia; quoad externos sensus prius iam memorata vitia; quoad coenesthesim ,,Hysteria respectu voluntatis: vim muscularem insigniter exhauriri, et corruere,

nec mentione eget, quum exempla diurna sat, superflueve hoc evincant. Actio systematis automatici formationi praefixi iam superius dilucidata fuit.

Infracto vegetationis opere, labentibusque nervorum viribus corpus organicum omni ambitu debellari, et deprimi videmus; hinc me Hercle! quid mirum? si aut febrim nervosam lentam — (si magis in nervos saevit virus) aut febrim hecticam, tabificam, si corpus universim adgreditur; — aut si in singula pro labe aut praepondio coniicitur organa fomes morbosus, febrem phtisicam destructivam inde emergere contenderem, quum hoc et exempla recensita, et experientia omnis aevi, omniumque medicorum confirment, atque manifestent. — Cunctis praemissis in unum collatis et invicem computatis sequentia emergunt corollaria: Operosae mentis in feminis lucubrationes, fervorque sudiorum indefessus turbas prolicere valent momentosisimas et numerosissimas, quae quidem quod e natura sexus sequioris et e scrutinio circa hanc physiologico large prodit, non possunt non virus suum in systema sexuale refundere, sique nunc protopathice nunc deuteropathice corporis infoecunditatem aut sterilitatem parere.

Consilia medica.

Fanis et profanis mirum videbitur! Medicos antiquissimos iam contra sterilitatem tot tantaque celebravisse medicamina infallibilia, ut in pharmaciis vix habeantur omnia, neque unum in Pharmacologiis sit, quod si in coelum non evectum, simpliciter adminus laudatum non fuisset. Nostri aevi Medicina multum subtilior, magisque rationalis, causas morborum inquirere, et ammovere praecipit, quo facto causarum *effectus,* sicque totum auferre conatur *morbum.* In quem modum et ego semper et ubique animam spirare adnitens scholae, non pharmacis introitum facerem, neque Panaceam contra ste-

rilitatem ex quacunque demum causa ortam, — inventam esse, lubenter confiterer.

Hanc Sterilitatem — quae nobis praesto est, pharmacis ammovere, et ad rectum reducere tramitem, incassum tentabis. E contra vero rationi adridet, causas ipsius prae reliquis inquirere.

Respectu causae, *nimium et indefessum in studiis accusavimus fervorem*, hinc principalis etiam indicatio causalis audiet: *„evitentur protracta et laboriosa studia."* Pertinet tamen hicce morbus ad longaevos, et inveteratos, nobis chronicos dictos, quem eodem modo, quo incepit, rationi convenienter sensim sensimve solum auferre valebis! In simili casu Medici ingenium, et circumspecta in rebus diiudicandis prudentia pulcherrimum et amplum invenit campum, quae utilia forent, quadrentque eligendi, quaeque nocua sint, impediantque, ammovendi. Dixi indicationem causalem fere omne in se recludere tractamen, cui tamen cautissime satisfaciendum, ne ex intempestiva actione maiora mala, et incommoda fuitis parturientur. Licet nimirum omnia incommoda — quibus corpus in suis plectitur penetralibus, — sufficientem, et unicum in studiis assiduis inveniant fontem, tales tamen labores operosi, — quibus ex diuturno inhaesit animus consuetudine, — non illico et repente interrumpantur, ne ex nimia intentione animus in contrarium, i. e. apathiam quandam magis adhuc perniciosum delabatur statum. Hinc sensim sensimve arceantur studia, meditationes, et speculationes sublimiores, adaequatum ab initio solum commendetur moderamen, tandem decurrentur; aliisque expleatur hoc vacuum temporis spatium occupationibus amoenis, gratis, blandisque; sique prius sub speculationibus mens ut iudicium prae ceteris magis captum fuit, phantasia nunc et animus magis intricetur, et illaqueatur, suppeditentur, pulchra ex artium quarumcunque ambitu, uti: Carmina

pastoralia, opera drammatica classica, hinc inde etiam iocosa.

Convenient huic fini adhuc colloquia hilaria, spectacula, choreae, musica, praeprimis sic dictae Operae (Daljáték). Sique magis alterato roboratoque animo suscipiant tales feminae peregrinationes in oras amoenas, — quae partim ob imaginum — quas suppeditant — variationem, partim laeta naturae inimitabilis intuitione ab operosis, et morosis animum revocant, eumque exhilarant, quo climatis etiam et regionum mutatio tendunt. Si his circumstantiae non adnuant, saltem rura petant, vitamque in natura serena, et in aeternum inveni, societate electa conditam rusticatione et otio alternantem, sibi eligant.

Strenue attamen sub omni hac vita excludantur pathemata quaecunque graviora, amor solum et amicitia placidum et tranquillum extollant animum. Maximi vero momenti est sedula et strenua vitae sedentariae evitatio, nec tamen ex altera parte corporis motiones nimiopere fatigent. Has regulas sequantur etiam diaeta, et regimen. Diaetam instruant, et observent tenuem, et ëupeptam magisque liquidam, quae nec primas molestet vias, nec augeat acrimonias, sed quae bonae notae praeparet chylum, blandosque solum conciliet humores omni stimulo acri carentes, pertinent huc *nutrientia* sic dicta *plastica* tam vegetabilia, quam animalia, uti: *amylum, grana sago, oryza, gelatinae animales, lac et ova;* serius transitus fiat ad *ranas, testudines, viperas, aliaque;* excludantur alimenta cruda, spissa, acida, austera, adstringentia, refrigerentia, cruditates, flatulentiam, alvique constipationem provocantia. Omnia primis viis infensa etiam menstruationis perturbant negotium, hinc sollicite cavendum, ne mensibus undecunque aliqualis inferatur perturbatio, quae facillime e diaetae mendis timenda; hinc non multum pro vice una, sed lubentius de die saepius comedant. His interdum alvinam excretionem facilitantia, uti: *fructus esculenti*

dulces cocti, embamata, et inra lenientia immisceantur. Potulenta sint blanda, evitanda pro possibili stimulantia! cerevisia, vinum, et potus arabicus, et sin invite dismittuntur, saltem multum temperentur. Regimen his praemissis etiam adaequatum commendetur, placide alternent quies et motus, otium et occupatio cum aliis aliisque; vigiliae penitus retrudantur, somnus sit iusto non longior, aut brevior, et intermedium teneat ultro octo horas non extendendus.

Vestitus sit anni tempori accomodatus, non nimis calidus erethismum augens, nec egenus, quia sub hoc statu valetudinario eo facilius influxus externi vim suam exerunt nocivam, prae ceteris vero aërem athmosphaericum hauriant purum, serenum, et temperatum.

Attentio tamen summa convertatur in Catamenia!

Si tantum emansere, pediluvia aut etiam semicupia aliquod dies ante tempus — quo intrare deberent, — in usum cedant, quae praecipuas communiter promovent excretiones, sanguinis aequalem adiuvant circuitum, congestiones a capite, et thorace avocant, et sic mensium facilitando fluxum, multis modis subveniunt sanitati. Cum violentia in tali casu festinare velle, medici non est rationalis, quum placide solum menses invitentur. — Si vero per pathemata, refrigerium, aliasque causas repente suppressae siluere menses, non pediluviis, iisque acrioribus solum, sed et hirudinibus, cataplasmatibus, et epithematibus ad pudenda appositis, potulentis largioribus tepidis, sollicita animi et corporis quiete, quaqua ratione restituantur; praesentes vero vel instantes omni foveantur cura, et solertia.

Insimul autem non negligantur complicationes, et effectus supra recensiti, tractamen in quolibet casu sit characteri et indoli turbarum adaptandum, semper tamen blandum et placidum, non vivant aegre pharmacis. Principalem meretur adtentionem virium, digestionis et systematis nervei status. Viribus fulciendis optime opitulatur vivendi ratio prius adlata.

Respectu digestionis prostratae quadrabunt in principiis solventi-tonica, uti: Taraxacum, Cichorcum cum pauxillo Rhei, aut et sal ammoniacus dosi refracta, hinc ad Lichenem islandicum, Malthum, serius ad Roborontia-amara: Centaurium, Marubium album, Polygalam amaram, Gentianam fiat transitus, et tandem si vires laudabiles, digestioque correcta et emendata visuntur, tractamini Cortice Chinae sub grano salis imponatur corona. — Respectu ad Systema nervosum habito aliud atque aliud iniungemus tractamen, pro vario — quem nobis offert illius laesio, — gradu et charactere.

Praesente torpore cautissime exhibeantur stimulantia, eaque leviora, veluti Mentha, Melissa, Ruta, Thymus, Baccae Lauri, folia Aurantii; his non sufficientibus cum modica circumspectione: Arnica, Camphora, Aetheres, balnea aromatica. Praesente erethismo: Valeriana, Angelica Moschus, Liquor acidi Halleri, et nisi contraindicatio adsit, Acida mineralia uti: Acidum phosphoricum dilutum, Chlorina liquida etc. prae ceteris vero efficaces erunt lotiones et balnea sensim sensimque pro receptivitatis gradu frigefacta, tandem balnea in aqua fluviatili, affusiones e altidudine, vel e distantia, sic dictae embrocationes, positio sub cataractis aquarum minoribus, balneaque aerea matutino tempore nudo corpore in pratis suscepta, motuique corporis frequenti iuncta. Si tandem sub uno alioque tractamine competente virium atque functionum restitutus est concentus et harmonia placida, vigetque digestio fortior Martialium subiungatur usus cautus, et circumspectus. Eminent inter ea, praeparata ferri acetici, et muriatici (Chloreta dicta), uti: Tinctura ferri acetici aetherea Klaprothii, Tinctura nervino tonica Bestuschffii, et ultimo balnea in exordio alkalino martialia, dein martialia puriora, tum frigida tum calida; in certis denique menstruorum anomaliis etiam Thermae sulphureae, quorum laudes in simili casu et quidem iure non sufficienter satis a scriptoribus

evehi possunt, cuique experientia omnino respondet. Vel non, vel rarissime in casu solum pertinacissime torpido, ad diureticorum, aliorumque emenagogorum (vulgo nomine venientium) Medici seducantur usum, quibus systematis sexualis adhuc magis quam erat, — confunderetur officium. Hoc in genere et de Narcoticis valet, quorum frequens aut intempestivus usus symptomatice solum agentibus, aut empiricis (irrationalibus), aut agyrtis similis videtur; suo tempore adhibitis saepius quidem dolores, inquietudo, aliaque symptomata molesta aufferri valent et sic regularem morbi decursum intercipiendo — impediunt. Ad calcem adhuc monere cogor in casibus longe plurimis medicamina pauca, simplicia, eaque minori dosi aut sola, aut aliorum interpolatione, diaeta et regimine vitae strenue observatis exhibenda.

E parte altera autem, qui nil agit, et omnia autocratiae naturae committit, nolit Hygiaëue sacerdos videri!

I. Josephus L. I. c. 28. Antiquor.
II. Cent. VI. Histor. 61 et Cent. III. Epist. 83.
III. Plinius L. 29. c. 9.
IV. P. Zachias Lib. III. titul I. qu. 1. u. 15.
V. Prax. Lib. 4.
VI. Richter, Gottfr., in dissert. Hallae 1763.

Theses defendendae.

1. Principium Alcopathiae „*Contraria contrariis*“ aequale est principio Homoeopathiae „*similia similibus.*“
2. *Animi foecunditas in feminis* status fere praeternaturalis, et sterilitatem causans est.
3. Nam in feminis vita vegeto-animalis psychicae praevalet.
4. In viris autem caput et pectus seu Consilium et audacia super abdomen dominatur.
5. Dantur Catamenia interna!
6. Hypochondriasis mater Melancholiae.
7. Psychiater (sensu strictissimo) Pharmaceusa, et Pharmacopoea est.
8. *Loquela* auditui, — *scriptura* visui, — *gesticulatio* tactui respondet.
9. Quantum attulit lumen Medicinae somaticae Anatomia et Physiologia comparata! et quantum adferet lumen Psychotomia et Psychophysiologia (sit venia adhucdum verbis) Medicinae psychicae?? *J. Kempf.*
10. Uti putredo mortis *universalis;* ita sphacelus mortis *localis* est infallibile criterium.
11. Pharmaca e regno animali facillime et optime agunt.
12. Apoplexia non est morbus.
13. Qui *vult,* aegrotat.
14. Per dolorem se apprime manifestat summum illud principium naturae „*Nisus Conservationis.*“
15. Vitae non opponitur mors.
16. Amor in aegrum, odium in aurum (quantum possibile) ornet Medicum.
17. Psychiater *Mente* Chirurgus (operator) *Cultro* plurimos sanat morbos.